Quelle: http://manuscripta.at/?ID=818
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et in quodam specu in urna sub terra non
paucis temporibus ignobiliter recondita
donec demum se se suumque caput
ostendit marcello cuidam religioso
presbytero dum in eodem specu habitaret.
Ex quo tempore cepit in eadem civitate
beati precursoris decollacio ipso die
quo caput inventum sive elevatum
est celebrari. Apud cesaream capado-
cie natalis beati Sergii monachi cuius gesta
habentur. v. kalendas Marcii. A Apud egyptum
xvii G. natalis sanctorum victorini victoris.
nicefori. claudiani. dioscori. sera-
pionis et papie sub numeriano
agente sabino duce. Quorum primus
in pilam ex dolore cavam et undi-
que circumforatam missus ac per sin-
gula foramina diutissime est stilis
punctus. Cumque nimius sanguis
effueret eductus e pila capite ce-
sus est. Secundus pedibus ac manibus am-
putatis in eandem pilam missus
prioris tormenta sustinuit et no-
vissime gladio cesus est. Tercius
cum ultro in pilam fuisset ingressus
indignatus iudex iussit eum inde
produci et super craticulam prunis sub-
stratam aliquantis assari et ver-
ti. Cumque in confessione persisteret
sublatus inde minutatim gla-
dio concisus spiritum tradidit. Reliqui
quatuor claudianus et dioscorus flam-
mis incensi. serapion et papias
gladio consummati sunt. In affrica
natalis sanctorum donati. iusti. teculi. he-
rene. pisionis. pamphili. nesto-
ris et caste. Et sancte walpurge virginis.
A. iiii. kalendas Marcii. I n civitate vi
pergen pamphilie natalis sancti Nesto-
ris episcopi. Qui per securcionem decii cum
die noctuque orationi insisteret pos-
tulans ut grex christi custodiretur
comprehensus a quodam irenarcho
principe civitatis oblatus est
presidi pollioni. Et cum nomen christi con-
fiteretur deos gencium demonia me-
moraret iussus est a preside crude-
lissime torqueri. Preses vero stupens
super constanciam eius dixit ei. Vis
nobiscum esse aut cum christo tuo? Cui
sanctus Nestor cum gaudio magno respon-
dit dicens. Cum meo christo eram.
et sum et ero. Tunc preses dictavit
sentenciam ut qui christum crucifixum
deum fatetur tamquam devotus deo
suo crucifixus solveretur a vita.
Ille gratias agens deo cum iam affixus
esset patibulo docebat populum circumstantem
ut in fide persisterent. Post hec petens
omnes ut genua flectentes cum eo